



Universitätsbibliothek Paderborn

**Caroli-Avgvsti Salesii Tvliani Doctoris Theologi,
Praepositi, Canonici, Vicarii Generalis Et Officialis
Ecclesiae Gebennensis: De Vita Et Rebvs Gestis Servi Dei**

Sales, Charles Auguste de

Lvgdvni, 1634

Vicario Iesv Christi, Vrbano VIII. Sacrosanctae Catholicae, Apostolicae & Romanae Ecclesiae,...

urn:nbn:de:hbz:466:1-9634



VICARIO IESV CHRISTI,
VRBANO VIII.

SACROSANCTÆ CATHOLICÆ, APOSTOLICÆ
& Romanæ Ecclesiæ,

PONTIFICI OPT. MAX.
CAROLVS AVGVSTVS SALESIVS,
Tullianus, per Humillima pedum oscula,
FOELICITATEM & EMPITERNAM.



PECVLVM sine macula tibi offero,
PATER BEATISSIME, Franciscum Salesium, Gebennensem Episcopum
ac Principem, Patruum meum, quem à
Tua Sanctitate, Sanctum appellari vni-
uersus Christianus Orbis expectat. Loquor ego omnium
nomine: Quid enim hanc mihi attellere libertatem pos-
sit; licet eumde cum illo sanguinem hauserim: cùm nemo
sit, nisi prorsus incognitus, qui eum non cognoscat, amet,
laudet, veneretur? Et verò, Pater Sanctissime, debemus
huc usque miseri esse Beatorum Cœlitum consanguinei,
ut de eis loqui non audeamus? Optimum si suæ quisque
patriæ studeret, sed dicam & amplius. Difficillimum ex-

* 2

E P I S T O L A

traneo benè historiam scribere:neque id sanè proferrem,
nisi satis supérque iampridem effati veritatem, experien-
tiâ comprobasssem. Hoce ego credidi, propter quod loquu-
tus sum, & Dei iustitiam, quam in Seruo suo abyssum
multam posuit, annunciare decreui in Ecclesiâ magnâ,
cui Tua Sanctitas præest fœlicissimè, sapientissimè,
sanctissimè. Speculum autem appellauit Præfulem quem
tibi sisto; si Solem dixero; dixero quod est: quandoqui-
dem eius doctrinâ fulget Ecclesia, ut Sole Luna. Exulta-
uit ut Gigas ad currendam Iustitiæ viam, & à Summo
Christianæ perfectionis cœlo, tot vibrauit virtutum &
miraculorum radios, ut nemo sit qui se abscondat à ca-
lore eius. Non erubesco porrò hæc tibi dicere, V R B A-
NE MAXIME : quia iam ab aliis intellexisti fusif-
simè & sciusti; immò tu ipse summis eum laudibus per-
sæpè es prosequutus; & beatum ego hac in re me existi-
mo, quia caro & sanguis nihil reuelarunt mihi. Fateor
tamen ingenuè (& te id scire par est, quem, velut Patrem-
familias, nihil eorum quæ in domo fiunt latere debet) ea
me imbutum fuisse inuocato Numine sententia, ut tanti
Præfulis Historiæ, quam ex euidentissimis rationibus
notissimam habeo, calami mei periculum & tyrocinium
hac in scriptio[n]is arte meum deberem: Enim uero ille
est, qui mihi in materni adhuc vteri tenebris inuoluto
(vnde mirum in modum gloriō) faustè precatus est, &
omen dixit, natum amauit & animauit ad eam quam
suscepī, amo & veneror Ecclesiasticæ vitæ rationem, &
ui suis precibus, quibus in conspectu throni & Agni
valet

DEDICATORIA.

valet mirificè, dum anxiaretur cor meum, in petra exaltauit me. Hei! Cur non longiori hac viæ vita donatus est, ut liceret misero apud eum haurire venam aquarum viventium, & de Theologicis capitibus, ipso Doctore cœlitùs docto, imbui; cùm me paucissimis antequam Aunctionem proficiseretur diebus, magno planè propensionis erga me suæ exhibito testimonio, quò facilius instruere Metaphysices adhuc candidatum posset, in sanctam suam consuetudinem & familiaritatem aduocarat? Sed consolatur ille me recordatione grata quotidie, & quem Patruum & Patrem habui in terris, eumdem & semper Patrem & Patronum experior in cœlis. Putas verò, PATER BEATISSIME, quām lātetur hodie de me, cùm sui causa videt ad Sanctitatis Tuæ pedes prouolutum? Næ, videor mihi videre illum, nouis (si quæ cœlestibus addi possunt) affectum gaudiis, his verbis sibi ipsi gratulari: Breui me Pontifex Maximus Pontificem, Sanctus Sanctum dicet, & talem exhibebit mortalibus, qualem Deus Maximus inter immortales suos aulicos gloriofissimè constituit. Sed non id ipse solus exposcit. Vna est vox totius triumphantis Solymes: & accedet profectò Patriarchis noua lātitia, cùm terræ honoribus additum sibi videbunt eum, qui tot liberos Christo genuit, tot Religiosarum mentium Patrem: Apostolis, cùm eum, qui in reuocandis ad Ecclesiæ caulas Hæreticis tot labores, tot pericula, ingenti cū emolumento exantlauit: Martyribus, cùm eū, cui sola dum viueret Martyrij fortuna & sola dū moreretur causa defuit: Pontificibus, cùm

* 3

EPISTOLA

eum, qui animam suam dedit pro ouibus suis, quippe ir-
reprehensibilis ac sine crimine fructum centesimum fe-
cit in plebe, & acceptis quinque talentis alia quinque
superlucratus est: Doctoribus, cùm eum, qui re & nomi-
ne Sal terræ fuit & lux mundi; ita vt nullus sit Orbis an-
gulus in quem tot sanctè & eruditè conscripta ab eo vo-
lumina non peruerterint: Confessoribus, cùm eum, qui
post aurum non abiit, nec sperauit in pecuniæ thesauris:
Virginibus denique, cùm eum, qui nesciuit thorum in
delicto, & cum mulieribus non est coinquinatus, &
Agnum ideò nunc, quocunque ierit, in albis sequitur ve-
stimentis. An commendari quisquam altius potest? Vide
igitur quid tibi rursùm offero? PATER BEATIS-
SIME; Citrum aureolam ex Ecclesiæ tuæ Paradiso
explantatam, quam in voluptario tuo podio iteratò pan-
gas: Non amplius Smirnæas vites desiderabis: habebis
enim in ea flores fructusque perennes. Rosas Pæstanis
educatores, lilia & violas Allobrogicarum conuallium
plenis cape calathis, quibus nec defit honor frondis, nec
odor, nec purpura, nec niueum ebur. En, vt te circum-
dant dies verni? Descende porrò, PONTIFEX
OPTIME, in hortum tuum & in areolam aroma-
tum; vide si floruerint mala punica, si flores fructus par-
turiunt, & da volatum argumentosis apibus tuis, vt bom-
bilent circum hos flores & pascantur in liliis, donec a-
spiret dies & inclinentur ymbræ. Ego hæc, O PRÆ-
SVLVM PRINCEPS MAXIME, in portis
nostris omnia poma noua & vetera seruauit tibi. Sede
etiam

DEDICATORIA.

etiam sub vmbra mali huius desiderabilis , & postquam
fructum eius dulcem inueneris gutturi tuo , dignare,
DOMINE,in diebus nostris,sicut oleum effusum redde-
re Francisci Salesij nomen,& in fines Orbis terræ exeant
verba tua de Sion Monte Sancto Dei. Notam fac in po-
populis veritatem istam ; Quia posuit Dominus super
caput serui sui coronam de lapide pretioso. Sparge in
publicum hos flores , & hæc dulcissima tuarum apium
mella.Deduc Siparium quo Sol hic adhuc tegitur, vt lu-
ceat iterum coram hominibus,& glorificetur Pater no-
ster qui est in cœlis,& hoc denique speculum omni chri-
stallo purius tuis exhibe Christianis. Lugduno. Xenio-
rum die,anno millesimo,sexcentesimo,trigesimo quarto.